

20 Ripub. mentem violassent, sine perjurio se non violasse jurarent. Perjuri igitur fuerunt Ethnicorum iudicio, qui Mag. stratus aut officia pretio ambientes, se pretium non dedisse dejerassent. Perjuri fuerunt, etiam Imperatorum iudicio, Theodosii & Valentiniani, qui cum iussissent Mag. stratus, lege Sancimus ejusmodi, Cod. ad legem Julian. Repetund. juratos inter gesta depromere, se pro administrationibus sortendis, neq; dedisse quidpiam, neq; daturos unquam postmodum fore, sive per se, sive interpositam personam in fraudem legis Sacramentique, quae formula hodierno juramento, de quo tractamus, est simillima, adversus transgressores, tanquam publico crimine neglecti Sacramenti perjuros, addunt, Si quis ausus fuerit praebita Sacramenta negligere, non modo adversus accipientem, sed etiam adversus dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem. Quod si quis à Romanis Imperatoribus, & Ethnicis Senatoribus & praefectis Romae Curiae Censoribus tanquam Theologiae imperitis, ad subfessia Theologorum Christianorum provocandum putet, profecto causa, de qua satagimus, finita est. Perjuri enim fuerunt, etiam Principis Theologorum Augustini iudicio: qui de tali suffragiorum suorum nundinatione populo, quia juratos in suffragia mittebatur, sine fluctuatione decerneret: Aug. lib. 3. de Civit. cap. 2. Quid aliud toties Senatores corrupti in iudiciis, toties populus in suffragiis, vel in quibusque causis, quae apud eum concionibus agebantur, nisi etiam pejerando peccabunt? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut à sceleribus metu Religionis prohiberentur, sed ut perjuriam quoque sceleribus ceteris adderentur.

CAPUT III.

De Forma concipiendi & pronuntiandi sententiam, & condemnatione in expensas & interesse.

- 1 Sententia concipienda est pravia plenaria causa discussione.
- 2 Sententia scripto mandanda est.
- 3 Justinianus nonnullas sententias excepit.
- 4 Hodie Sententia sive dictum scribitur.
- 5 Quod vocetur dictum; & quid sententia extensa?
- 6 Primitus Sententia in foro Ecclesiastico non ferebantur ex scripto. (recepta est.)
- 7 Hodie dispositio Juris Civilis etiam in foro Ecclesiastico.
- 8 Hoc tamen non obtinet in sententia interlocutoria.
- 9 De Jure communi, & stylo fori Ecclesiastici sententia à iudice pronuntianda est.
- 10 Et à sedente pro tribunali.
- 11 Jus Civile permittit Illustribus personis, ut sententias per alios pronuntient.
- 12 Ad harum exemplum id & Episcopis permittitur de Jure Canonico.
- 13 Hodie Magistratus Civiles sententias pronuntiant per suos Secretarios aut Grapharios.
- 14 In quibusdam Curis sententia non recitatur, sed dumtaxat Partibus traditur.
- 15 De Jure communi sententia pronuntianda Partibus praesentibus aut saltem citatis: cui consonat stylus Curiarum Ecclesiasticarum sed non secularium.
- 16 Sententia de jure ferenda in Procuratorum; Secus de Praxi.
- 17 Quo die sententia pronuntianda?
- 18 Sententia definitiva debet etiam esse super expensis & interesse.
- 19 An ob omissam condemnationem in expensas possit Victor appellare?

- 20 Regula communis vicium Victori in expensas esse condemnandum.
- 21 Nonnumquam licita expensarum compensatio.
- 22 Frequentiorem expensarum compensationem coarctavit Edictum de anno 1611.
- 23 Renovavit Edictum anni 1585. & quid hoc contineat.
- 24 His Edictis consonant Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciae Mechl.
- 25 Quid agendum dum in Scripturis Partium multa inania & impertinentia miscentur.
- 26 Hodie solent in sententia interlocutoria reservari expensa in definitiva: nec de hac reservatione loquuntur Edicta.
- 27 Judex in sententia non solet exprimere determinatam summam expensarum; sed earum taxationem sibi reservare.
- 28 Quomodo hac taxatio fiat?
- 29 Qua in taxatione attendenda ex Ordinationibus Curiae Brabantiae.
- 30 Forma taxandi expensas utriusque Curiae seculari & Ecclesiasticae conformis.
- 31 Taxa expensarum tradenda Victo, & quare?
- 32 Condemnatio ad interesse, & restitutionem fructuum quomodo de jure faciendae?
- 33 Interdum Judex ex officio taxat interesse; interdum injungit Parti ut specifiect suum interesse.
- 34 Declaratio interesse à Victore exhibita tradenda Parti Victa ad diminuendum.
- 35 Advocati puniendi qui excedunt in taxando interesse.
- 36 Plura circa taxationem interesse & restitutionem fructuum remissive.



In primis jam pridem ab Imperatoribus ordinatum fuit in L. 2. Cod. De Sent. ex breviculo recitandis, ut Judices quos cognoscendi & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habitae post negotium sententias ponderatas sibi ante forment. Requiritur igitur, ut Judex sententiam suam formet praemissa de toto negotio plena deliberatione, & causae discussione, de quo actum capite praecedenti.

II. Ad dunt de Imperatores; Et emendatas statim in libellum securae fidelitate conferant, scriptasque ex libello Partibus legant.

Hic patet, sententiam scripto esse mandandam; & ex scripto pronuntiandam; quod & apertius declaratur in L. 3. Cod. eod. ubi Imperatores renovantes prius Statutum, quo mandabatur Judicibus, ut ultimas definitiones (sive sententias definitivas) de scripti recitatione proferrent, huic adjiciunt, Sanctioni, ut sententia, quae dicta fuerit, cum scripta non esset, nec nomen quidem sententiae habere mereatur.

III. Justinianus Imperator ab hac generali regula excipit in Novella 17. c. 3. [e qua sumpta est Authentica NISI subiecta citatae legi 3.] breves lites, & maxime vilium personarum; tunc enim (ait) sine scriptis, & sine aliqua expensa, cognoscere Praesidem oportet.

IV. Hodie similiter sententiae in scriptum rediguntur priusquam pronuntientur; & quidem juxta ordinationes Curiae Brabantiae art. 9. ipse commissarius sententiam sive dictum, ut vocant, concipere & scribere debet, illudque Concilio praelagere, ut approbetur.

V. Hoc dictum vocatur breviculum, Gallice Brief, quasi brevi compendio exprimens sententiam iudicis super causa controversa; unde nec in illo scribuntur dicta partium, & responsiones, uti notat Rebuffus tract. De Sententiis art. 3. n. 40. Si tamen per petat suis expensis, sententiam habere cum summaria narratione eorum, quae hinc inde dicta & allegata fuerunt, poterit id à Secretario sive Graphario fieri; modo tamen exacte servetur formula ipsius dicti, in quo nec jota mutari potest: Diciturque tunc sententia extensa. Vide art. 155. Ordinat. Curiae Brabantiae.

VI. In supra allegata Authentica, quae à generali Lege de ferenda sententia ex scripto, excipiuntur causae breves & ma-

maxime vilium personarum, additur & haec exceptio: Nisi Episcopus cognoscit inter suos subditos: quae desumpta est ex Novella 83. Justiniani, quae declarat, Ut, si quis habet adversus Clericos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellat eum, & ex non scripto iudicium mereatur, & si hoc fiat, nec inquietet eum, nec trahat ad Auditoria Civilia, neq; à sacro eum vocare faciat ministerio, sed ex non scripto examinetur negotium sine damnis, & accipiat formam forsitan etiam scriptam, si hoc quoque Partes voluerint & poposcerint, & liberentur alterutro certamine.

Ex hoc contextu Justiniani manifestum est, quod Imperator suppulerit, apud Episcopum summarie, & citra formam judicialem causas examinari & definire; ac ideo nec scripturam opus esse, quae in summaris nec hodie requiritur: atque ita durante vetero disciplinae fori Ecclesiastici, nec haec formalitas exigebatur.

VII. At postquam forma judicialis & forensis intravit in forum Ecclesiasticum, etiam & haec formalitas necessaria fuit, & expressè declaratur in Cap. fin. De Sententia & re iudicata in VI. ubi refertur & probatur supra relata Lex. 3. quae ait, sententiam quae ex non scripto recitaretur, nec nomen sententiae mereri.

VIII. Notat autem ibidem Glossa verbo definitiva, quod haec intelligenda sint de sententia definitiva, non autem interlocutoria; quia necesse non est, quod haec proferatur & recitetur in scripto. Poterit ergo (ait) iudex interloqui, & postea interlocutoriam illam tabellico rediget in scriptis; nec est etiam de necessitate, quod redigatur in scriptis: sed aliàs non creditur iudici, nisi id pateat per scripta actorum.

IX. Sententia ab ipso iudice partibus praelagenda est, citata à lege 2. Cod. De Sententiis ex breviculo recit. Quod & probatur à Pontifice in allegato Capitulo finali: additque expressè, quod sententia definitiva debeat à iudice, non ab alio de scripti recitatione proferri; quod & Officiales aliiq; inferiores iudices Ecclesiastici observant; praecipiturque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciae Mechl. in tit. 1. art. 57. ut iudex pro tribunali sedens, in loco consistoriali, die iudiciali, definitivam sententiam in scriptis ferat.

X. Dicitur Sedens, quia in dicto Cap. finali expressè decernitur, Sententia quae in scripto edita à iudice litigatoribus non recitatur, vel ab ipso stando, non sedendo proferri contingit, nullius penitus est momenti.

XI. Ab hac tamen regula facit citata Lex. 2. hanc exceptionem; Exceptis tam viris eminentissimis Praefectis praetorio, quàm aliis illustrem administrationem gerentibus, ceterisque illustribus iudicibus, quibus licentia concedatur, etiam per officium suum, & eos qui ministerium suum eis accommodant, sententias recitare.

XII. Ad exemplum illustrium personarum, permittit quoque Pontifex in dicto Cap. fin. ut Episcopo, sententiam ab eo ferendam liceat per alium recitare; quem (ait) propter dignitatis prerogativam ampliori convenit honore fulgere.

XIII. Eodem forsitan exemplo illustrium personarum, mos receptus in Curis secularibus, sententiam recitari ex scripto, non ab ipso iudice, sed à Graphario sive Secretario Curiae praesente Senatorum cetero, aut saltem coram duobus Curiae Commissariis, uti post alios citatos testatur ibidem Bugnyonius, uti & lib. 2. c. 136.

XIV. In omnibus quibusdam Curis moris est, ut sententia non recitetur, sed solum per Grapharium in scriptum redacta Partibus tradatur; quemadmodum annotat Tuldenus ad titulum Codicis De Sententiis ex breviculo recitandis n. 4. addens, Quod quia minus laudantur: quia per publicam recitationem, minorem fore putant confidentiam desolendi ad equitatem. Pudor enim per oculos maxime subit, & impudentia secretò animatur. Id ipsum notavit Pere-

zius ad eundem titulum n. 6.

XV. De jure, sententia pronuntianda est Partibus praesentibus, aut saltem ad audiendam pronuntiam sententiam citatis, & non comparentibus. De unoquoque enim negotio praesentibus, quos causa contingit, iudicare oportet, inquit, l. 47. ff. De Sent. & re iud. & ita servatur in iudiciis Ecclesiasticis; sed in Curis secularibus non solent partes citari ad audiendam pronuntiam sententiam, uti monet Zypaeus in notis. Juris Belg. tit. De Sent. n. 6. & latè Merula in Praxi lib. 4. tit. 89. c. 1. n. 10. rationes hujus praxeos allegans.

XVI. Similiter tamen de Jure Civili debeat sententia ferri in Procuratorem, qui per litem contestationem censetur factus dominus litis, l. 1. Cod. De Sententiis & interlocut. omnium iud. hodie tamen indistinctè in ipsos Dominos concipi & ferri solent omnes sententiae; idque in omnibus passim Curis, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus observatur, uti videri potest apud auctores citatos à Christiano ad Bugnyonium lib. 2. cap. 32. Quia Procuratores hodierni, non Domini litium, sed muniti Litigantium habentur.

XVII. Sententia pronuntari potest omni die iudiciali: singulariter tamen & solemniter in aliquibus Curis pronuntari solent quater in anno; scilicet ultima die iudiciali: ante vacantias Paschatis, Pentecostes, Augusti, Navitatis Domini. Merula loco citato n. 11.

XVIII. Quia per sententiam definitivam finis totalis imponendus est Partium disceptationi, idcirco non tantum super principali, sed & accessoriis, ut sunt expensa litis, fructus interim percepti vel percipiendi, damnum & interesse, pronuntari debet: ut ita controversia super his, una cum principali terminetur.

Et quidem juxta l. 3. Cod. De Fructibus & litium expensis, terminato, transactoq; negotio, posthac nulli actio, neq; ex rescripto super sumptuum petitione praestetur, nisi Judex, qui de principali negotio sententiam promulgavit, cominus partibus constitutis iudiciali pronuntiatione significaverit, victori causa restitui debere expensas, aut suaper his quaedam jure competere.

Ratio subjungitur: Post absolutum enim dimissamq; iudicium, nefas est litem alteram confluxere ex litem primae materiae.

XIX. Si Judex condemnationem expensarum omiserit, non propterea de jure, victo appellare licet. L. fin. Cod. Quando provocare non est necesse. Sed aliud praxis videtur recipere, atque appellationem ab omni condemnatione in expensas admittit; soletque dici appellatio à minima. Praxis enim habet, ut litigantes concludendo etiam petant condemnari Partem adversam in expensas; ac per consequens, Judex non condemnando, conclusioni non satisfecisse censetur. Vide Christianum in notis ad Bugnyonium lib. 1. c. 15. litt. B.

XX. Et quia Pars causae cadens praesumitur, alteram injustè in iudicium vocasse, eiq; injustè litem movisse, communis regula est, vicium victori in expensas condemnandum; juxta l. penult. Cod. de Fructibus & expens. lit. in verbis: Constitutio praecipit, ut quisvis Judex in sententia sua jubeat vicium factos in iudicio sumptus praestare.

XXI. Cum tamen nonnumquam contingere queat, causam adeo fuisse utrimque obscuram, tantaque etiam pro victo argumenta, ut revera nulla possit dici suffuisse temeritas litigandi ex parte Victi; sed probabilem admodum rationem iudicio experiendi habuisse videatur, poterit quoque Judex in hujusmodi casibus, Vicium ab expensarum vel saltem earum parte absolvere; & uti hodie loquuntur, vel in totum, vel pro parte expensas compensare eidem, ut utraque pars in totum, vel pro parte suas expensas ferat; atque hujusmodi expensarum compensationem hodie, tam in Curis Ecclesiasticis, quàm secularibus frequentari videmus.

XXII. Sed quia praxis invaluerat, quod leviori ex causa frequenter fieret expensarum compensatio, ac per hoc temeritas

ritas litigantium foventi videretur, Principes nostri Edicto anni 1611. art. 9. in h. buerunt omnibus Judicibus compensare expensas, etiam inter consanguineos vel affines, nisi ex gravi admodum causa. Verba articuli sunt: *Om censinghins te bedwingen de temeriteyt van de litiganten, verbieden vuy aen alle subalterne, ende overste Rechteren, te ghebruken compensatie van kosten, maer vvel van condemnatie, tot laste van den gene, die ten principaelen sal verliesen, al vvaere so, dat de Partien maechschap vvaerē, of geallieert, ten zy nochtans om seer groote oorjaecken, vvaer mede vuy belasten hunne conscientien, Id est: Ut aliquo qualiter cohibeatur litigantium temeritas, inhibemus omnibus tam subalternis quam Supremis Judicibus, ne compensationis expensarum consuetudinem inducant, et contra condemnationis onere illius qui cadet causā principali, quantumvis etiam sanguinis vel affinitatis necessitudo inter partes intercederet, nisi tamen ratio gravis subellet, & eatenus eorum conscientiam oneramus.*

XXIII. Ad id præcedens, ut ad præveniendas tergiversationes & calumnias, omnes iudices observent Edictum de ultima Augusti 1586.

Extat hoc Edictum parte 2. Edict. Flandriae lib. 1. Rubr. 5. In hoc Edicto imprimis decernitur, ut in condemnatione & taxatione expensarum, diligenter attendatur, & inspicatur status causæ, uti & levitas, temeritas, calumnia sive dolosa protractio Partium litigantium, & sic ut compensatio expensarum non fiat, nec ob proximitatem sanguinis, affinitatis, vel conjunctionis inter litigantes, nec alio quocumque prætextu, nisi ex bonis, probatis, sufficientibus & legitimis causis, de quibus certi esse possumus de bona fide eorum, qui causā ceciderunt. Verba Edicti sunt: *Ordonneren ende statueren, dat voort aen inde condemnatie ende taxatie van de kosten, alle goet ende zorgfuldigh aenschawv ende regard ghenomen, al vvoorden op de ghelegenheyt van de zaken, misgaders op de lichtveerdighheyt, temeriteyt, calumnie of bedrieghelicke styeringhe van de procederende Partien sonder de kosten te compenseren, noch om maechschap van bloede, affiniteyt, of alliance, dier soude moghen tusschen de selve partien vvesen, noch onder eenigh andere decksel, ten vvaere om goede oprechte suffisante ende Westelike redenen, vvaer deur men versikeri vvaere van de goede trouwe van den ghenen in de zaakke vervallende, Id est: Mandamus & statumus ut in posterum quoad condemnationem & impensarum taxationem iuste & sedulo causæ status expendant, similiter & levitatem, temeritatem, & calumniam aut dolosas partium litigantium protractiones nec impensas compensabunt ob consanguinitatem, affinitatem aut conjunctionem, quæ inter dictas partes intercedere possent, nec alio quocumque obtentu, nisi ob bonas dumtaxat, & quas, sufficientes & legitimas rationes, ex quibus de bona fide illius qui cadit causā liquido constaret.*

XXIV. His Edictis quoad condemnationem in expensas planè conformis est art. 58. tituli 11. Ordinat. Cur. Eccles. Provinciae Mechliniensis: Caveat autem Judex diligenter, ut obviam eatur calumniis temerè litigantium, ne unquam expensas compenset, vel reservet, sed semper in eisdem victum condemnet, nisi aliter ipsi videatur, ex iura rationabili, & gravi causā in iure fundata, quæ tamen majus momentum habeat, quam sit vicina solum consanguinitas.

XXV. Mone: Antonius Anselmo in Commentario ad citatum art. 9. Edicti Perpetui §. 3. cum in scripturis occurrunt inutilis repetitiones, discursus in acie, impertinentes allegationes, &c. non quidem compensatio fiat expensarum, sed pronuntietur, ut earum in taxatione expensarum ratio habeatur; ipsiq; Advocati, qui excessum hujusmodi commiserunt, aliqua parte solatii sui priventur, uti anno 1650. pronuntiavit Senatus Mechliniensis in hæc verba: *Se condemne les reformans es depens du proces la taxe de quelle sera faite moderement, en consideration de la superfluite des exhibitions & prolixite des serfaisures y servies. Ordonnans la Cour, aux Advocats de part, & d'autre, de se*

contenter de la moitié des salaires qu'autrement leur eussent estre deuz au regard des serfaisures. Id est: Condemnentur reformantes in expensas litis, quantum taxatio fiet cum moderamine, attentis exhibitionibus superfluis & scripturarum eorum prolixitate. Mandatq; Curia Advocatis utriusque partis, ut dimidiā mercedis parte, quæ aliis eis debita fuisset ratione instrumentorum litis sint contenti.

XXVI. Edictum non loquitur de reservatione expensarum, sed eam arbitrio Judicis relinquit. Unde & usus habet, ut expensarum reservatio in sententia interlocutoria fiat, usq; ad sententiam definitivam, uti monet Anselmo loco citato §. 1. licet conveniens iudicet, expensas retardati processus in quolibet articulo, qui processum retardat, Victori refundere, non expectatā sententiā definitivā.

XXVII. Hodie non solet Judex condemnando Actorem vel Reum in expensas, determinare in ipsa sententia certam summam, sed simpliciter condemnat in expensas litis, earum taxationem sibi reservando.

XXVIII. Igitur Victor, juxta hodiernum stylium, expensas libello comprehendit, isq; Victo communicatur; ut eo viso examinet, num Victor nullas expensas superfluas, aut in lite non factas expresseit, aut eorum modum excelescit; atque eas arguendo, prout sibi visum fuerit, diminuat.

Quibus absolutis Judex Acta processus, & alia ex parte litigantium allegata & verificata discutit, & summam expensarum taxat & moderatur.

XXIX. De hac taxatione agitur in Ordinationibus Curia Brabantia. c. 24. ubiq; pluribus articulis præscribitur, quid in hac taxatione à Commissario ad taxationem faciendam deputato, sit observandum; atq; nominatum art. 630. Scripturas non esse taxandas, quæ in visitatione & decisione processus non fuerunt. Et art. 631. quod nullæ expensæ taxantur, nisi prius fuerint legitime verificate.

Et ne per comparationes personales adversa pars nimium gravetur, deciditur art. 633. quod tantum poterunt taxari ad onus succubentis, tres comparationes personales; nisi Cancellario & Senatu ob notabiles rationes aliud videatur.

XXX. Hæc forma taxandi expensas in Curia secularibus servari solita, exprimitur quoq; in Ordinationibus Curia Eccles. Provinciae Mechl. tit. 11. art. 62. his verbis: „Ad videndum taxari expensas, quæ per Judicem, aut Commisarium cum Graphario taxandæ erunt, unam dumtaxat fieri volumus citationem ad diminuendum; & die servitæ exhiberi expensarum specificationem in scriptis; citatus autem non comparens secludatur, & à Judice ad taxationem procedetur sine ulteriore dilatione. Comparente verò citato, præfigetur ei terminus diminuendi peremptorius, sub pœna seclusionis, sub quo sine ulla ulteriore dilatione diminueretenebitur, si diminueret vellet, & Judex, aut Commisarius specificationem cum actis conferet, & dispiciet, quæ utiles, quæ inutilis expensæ fuerint.

XXXI. Ad ditur dein art. 63. „Taxa verò, expensarum reo petenti à Graphario tradetur, ne existiment ignorantibus plus justo exigi; & ne forte officiaris nostris occasio detur petendi ultra debitum; quod quidem si unquam attentarint, punientur, ultra amissionem salariorum, multæ arbitrarie.

XXXII. Non tantum in expensas Victus Victori condemnari solet; sed in restitutionem fructuum, præsertim perceptorum post litem contestationem, & interesse, quod ob intentatam litem Victor passus est, juxta L. 2. Cod. De Fructibus & litem expensis. Quæ hic de jure attendenda sunt, breviter annotat Mecula citato tit. 89. ca. 1. num. 17. & 18.

XXXIII. In Ordinationibus Curia Brabantia art. 620. præcipitur, ut in condemnatione damni & interesse exprimat determinatam summam, quæ examinato processu Judicibus æqua videbitur, attentā gravitate causæ & qualitate litigantium; non permittendo Partibus litigantibus dare

per declarationem dictum damnum & interesse, nisi materia eilet tanti momenti, qualitatis & considerationis, ut Judices non possent prædictum damnum & interesse taxare, nisi prævia informatione: quo casu poterit per Curiam ordinari, ut damnum & interesse per declarationem exhibeantur, idq; intra certum præfixum terminum. Teneturq; Pars intra illum terminum suam declarationem exhibere sub pœna seclusionis. Art. 622.

XXXIV. Post exhibitam autem declarationem Pars victa unicam dumtaxat habebit dilationem, ut damnum & interesse à Victore exhibitum diminueret queat. Diminutione factā, si Curia videatur, dabitur utriq; Pars unus terminus ad se de omnibus informandum; & post hunc singulæ Partes habebunt terminum ad reprobandum, & solvendum; peruntque omnes termini peremptorii.

XXXV. Article 621. præcipitur Advocatis, ut in libellando damno & interesse, non aliud interessen, nisi quod attentis conditione actionis è qua oritur, & qualitate litigantium, de jure debetur: Interdicendo Advocatis taxationem excessivam damni & interesse sub pœna arbitraria; & quod condemnabuntur restituere expensas suis Clientibus, quas ob hanc inordinatam taxationem passi sunt. Mandatur autem Consiliariis, ut his serio intendant, ipsosq; Advocatos hac in parte excedentes puniant ad terrorem aliorum per suspensionem ab Officio, aut alia pœna, prout ad promovendam justitiam expedire judicabunt; interdicens Procuratoribus facere dictam declarationem damni & interesse. Verba articuli sunt: *Dat d'Advocaten stellende by gheschreft die voorsz. declaratie, niet en sullen moghen eyschen andere schaden of interesten dan de ghene diemen naer rechte schuldschijns nemende aenschouwen op de qualiteyt van de actie van de vveicke sy procederen, ende op die conditie van partien, den selven Advocaten verbiedende excessiven heysche maecken van de voornoemde schaden ende interesten, op de pene van arbitrayck ghecorrigeert te vvoorden, ende daer toe noch ghecondemneert heuren meesters te betalen de kosten die sy daeromme sonder redenen gesupporteert sullen hebben: Ordnerende dien van onsen Raede daer op goede consideratie te nemen, ende te corrigeren d'Advocaten een exemple van de andere die de contrarie doen sullen, & by suspensie van heur staten, of andersins, gheleyck sy tot vorderinghe van de justitie sullen vinden behoorende, ende verbiedende den voorsz. Procureurs te maecken die voor genoemde declaratie van schaden ende interesten. Id est: Ut Advocatis prædictam declarationem scripto exhibentibus, non liceat aliam damni & incommodi compensationem exigere, quàm talem, quæ secundum Justitiam ipsi debeatur, attentā qualitate actionis super qua litem instruunt, & partium conditionem; Advocatis inhibemus, ne prædictorum damni & incommodi compensationem exigendo excedant, arbitrariè aliàs punientur; superq; condemnandi, ut Clientibus suis sumptus persolvant, quos idcirco sine causa impenderint, injungimusq; Consiliariis nostris, ut ad hæc serio reflectant, & in Advocatos secus facientes ad aliorum exemplum animadvertant, seu muneris sui temporaria multatione, seu alio modo qui administranda justitiæ maxime videbitur conducere; inhibemusq; Procuratoribus, ne prædictas damni & incommodi declarationes conficiant.*

XXXVI. Si quis plura de hac condemnatione & taxatione expensarum, damni & interesse, & restitutione fructuum scire velit, consulere poterit duos Tractatus Rebuffi, quorum alter est De Expensis & Interesse; alter verò De Fructibus & illorum Restitutionibus.

CAPUT IV.

De Executione Sententiæ.

1 Sententia sine executione inutilis est.

- 2 Semper aliquod spatium condemnatis ad satisfaciendum sententiæ indulgendum fuit.
- 3 Justinianus condemnatis inducias quadrimestres concessit.
- 4 Eisdem probatis Canonice quod tamen eas limitari aut prolongari à Judice permittit.
- 5 Hodie ferè inducia hæc arbitraria facta sunt.
- 6 Solet tamen aliquod spatium indulgeri.
- 7 Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.
- 8 Quomodo hodie à debitoribus impetrentur rescripta moratoria, quæ executionem suspendant.
- 9 Exacto tempore induciarum executio petitur à Judice, qui sententiam tulit.
- 10 Forma decernendi executionem varia est pro varietate tribunalium.
- 11 Executio committi solet Apparitoribus: qui ob id & Executores dicuntur.
- 12 Pœna Apparitorum in Curia Ecclesiastica qui donis aliove modo corrupti executionem differunt.
- 13 Prætextu interjectæ appellations Apparitores ab executione desistere non possunt, nisi de mandato Curia pateat.
- 14 Apparitores in executione sententiæ ministros sibi adjungere interdum possunt.
- 15 Pro executione sententiæ Judicis Eccles. potest Apparitor implorare auxilium Magistratus Civilis.
- 16 Ordo executionis præscriptus de jure communi.
- 17 An ordo à jure præscriptus servetur in Gallia?
- 18 Ordinem à jure præscriptum in Belgio non servari testatur Pragmatica.
- 19 In Brabantia tamen aliqua illius ratio habetur.
- 20 De jure communi aliqua bona exempta ab executione, & quid de his habeant mores hodierni.
- 21 Jam pridem Clero Gallicano datum fuit privilegium, quod eorum mobilia capi non possent.
- 22 Quomodo hæc immunitas posterioribus Regis Edictis restituta fuerit?
- 23 Pro executione sententiæ non procedendum ad incarcerationem, nisi deficientibus bonis temporalibus.
- 24 Ob as alienum homines liberi de jure Civili in servitutem redigi non poterant.
- 25 Nonnulli putant eodem jure debitorum incarcerationem fuisse vetitam.
- 26 Contraria sententia hodie in praxi recepta; & quando ad incarcerationem procedi queat?
- 27 Etiam mulieres incarcerari possunt contra Constitutionem Justiniani.
- 28 Quid in harum incarceratione cavendum?
- 29 In Gallia Persona insignita Ordine sacro ob debitum Civile incarcerari non possunt.
- 30 Fallit tamen subinde ob specialem circumstantiam.
- 31 Ab incarceratione liberat cessio bonorum.
- 32 Sola professione debitoris de jure Civili cessio hac fieri poterat.
- 33 Hæc cedendi facilitas sublata in Gallia & Belgio; & qua forma præscripta?
- 34 De declaratione bonorum eorumq; cessione faciendā à cedente, & qua sibi retinere queat.
- 35 Quæ observari velint Ordinationes Curia Brabantia.
- 36 Cessio bonorum non liberat ab obligatione solvendi, si cedens ad meliorem sortem unam devenerit.
- 37 Cedentis bona post cessionem acquisita creditoribus addicenda, salvo tamen cedentis suis necessariis.
- 38 Hoc beneficium non datur decoctoribus, aliisve qui dolo malo debita contraxerunt.
- 39 Edicta Regia contra decoctores.
- 40 Quibusdam datum privilegium quod citra cessionem bonorum excuti nequeant ultra quam facere possunt.
- 41 Privilegium competere Clerico ex Cap. 3. De Solut. communiter tradunt Canonistæ. (Gallia.)
- 42 Contraria praxis aliquando videtur fuisse recepta in